

D. S.

ROSETUM NUPTIALE

pro felicitate matrimonii

REVERENDI, DOCTISSIMI, HUMANISSIMI, VIRI

Dn. SAMUELIS SCULTETI

Pastoris in agrò Bockschutziò-Zockelanò vigilantissimi,

VIRI itidem

REVERENDI & PRÆSTANTISSIMI

Dn. VALENTINI SCULTETI ECCLESIASTÆ

olim DRĒSCANO-STRELICIANI in Ducatu OLSNICO

FILII, primùm SPONSI,

cum

dulciculâ, & elegantulâ, virtutibus sui sexus

ornatissimâ VIRGINE

BARBARA,

VIRI

prudentiâ chirurgicâ, & multò civilium rerum usu

conspicui

Dn. EZECHIELIS COLBERGII CIVIS

in Republ. Olsnicâ optimi & meritissimi

FILIA UNICA, eâq; charissimâ SPONSA,

faustissimis Fautorum & Amicorum ac-

clamationibus

Ipsâ solemni festivitate nuptiarum

Annò Mefsianò 1648 ad D. 7. Julii

honoris & memoria ergo

exstructum

&

prælo SEYFFERTANO apud OLLSENATES LUCI

commissum.



Ἀξιόλογα

Honorabile est inter OMNES Conjugium, & cubile impollutum Hebræ.c.13.v.4.

*In 1. ad Timoth. c. 3. v. 2.*

Oportet Episcopum esse UNIUS UXORIS Maritum.

*JASON MATN. ap. HAMELBURG. n. m. 4.*

Conjugium est venerabile fidei & honestatis templum, suavissimum vitæ condimentum, consensio quædam cœlestis, & divinum consortium.

*Scalig. S. 2. Exerc. 310.*

Amans cum amatâ re UNUM esse, quo ad licet, appetit.

*B. Lutherus Tom. 6. Witteb. n. m. 174.*

Frühe auffstehen / vnd frühe freyen /  
Darff niemand gereuen.

\* \* \* \* \*  
\* \* \* \* \*  
\* \* \*

Γαμήλιον

Reverendo

&

Doctissimo Viro-juveni

## DN. SAMUELI SCULTETO

Eccl. Dei in agro Bogschitz Vigilantissimo,  
SPONSO

**I**psè Jehova, bonum non est, sine compare, dixit  
Esse Adam, sociam Nos faciamus ei. Gen. 2. v. 18.  
Illiciti atq, vagi quo devitentur amores, 1. Cor. 7. v. 36  
Caja cum propriâ vivito quisq, suâ.  
Unius uxoris sit vir, qui Presbyter audit 1. Tim. 3. v. 2  
Tharsensis Vatis dogmata dia sonant.  
Casto è conjugio terra nascuntur Atlantes,  
Casto è conjugio semen Olympus habet.  
Hac Tecum reputans, SAMUEL SCULTETE, gemiscis;  
A Domino ô veniat costula chara mihi!  
Quod cupis in promptu est, chirurgus EZECHIEL implet  
COLBERGUS præsens quod tua vota volunt.  
Ipse Tibi unigenam Gnatam Castamq, piamq,  
Elocat, & fudit munus id esse Dei.  
Hoc vestrum felix sit, faustum, sitq, beatum  
Conjugium, tota mente-animi voveo.

Rufus Eques pereat, qui terris abstulit altam. Ap. 6. v. 41  
Pacem; vaginamq; occupet ensis atrox. Jer. 47. v. 6.  
Et post tot casus, post tot discrimina rerum, Pl. 90. v. 16.  
Letifica rursus, mi Deus alme, Tuos!

sc. ab

ELIA HOJERO Eccl. Olsn.  
indigno verbi Dei ministro.

Usibus humanis lautô satis apta paratu  
HABELSCHVERDA tulit largô cum scenore CIVEIS  
Eximios magnô studio PIETATIS avitæ.  
Ast rigida fulmen BELLONÆ tempore durô  
ILLORUM MULTOS peregrinas trusit in oras.  
Sensit & hoc FATUM SENIOR COLBERGUS amarum  
Pectore tranquillô. Nam culta novalia liquit  
Et segetes letas, & commoda tegmina vitæ;  
Atq; pyros, justô posuit quas ordine, pulchras  
LIBERTATIS opes retineret, viveret atq;  
Ad verbi normam divini mente quietâ,  
Nubibus hereticis pulsis, fucisq; Sophistæ.  
Ergo Deus, curat qui talia facta, probatq;  
JUSTITIÆ, sanctis & congrua LEGIBUS, ampla  
Præmia, COLBERGO canos persolvit honores;  
HOSPITIUM tutum, fidos concessit ACHATES;  
Post varios nimbos divisit amore paternô  
PROGENIEM SENII fallentem tedia lenti.  
Ex hoc FONTE venit nunc SPONSA venusta vetustô  
BARBARA virginea nitidissima gemma catervæ,

FILIA

FILIA COLBERGI, qui sedulus emulus artis.  
 FABRICII HILDANI, RHENUS quem laudat & ISTER.  
 Es nimium felix igitur SCULTETE, MINISTER  
 ALTARIS sacri cura studioq; fidelis,  
 Dum MORATA tuos cum diuine dote. PUELLA  
 Ante alios JUVENES solius munere CHRISTI  
 Appetit amplexus, descendens stemmate honorò.  
 Hæc TIBI defectus supplebit tempore certò  
 Exortos NUPER post tristia funera MATRIS,  
 Quæ vixit RERUM præclara COLUMNA TUARUM,  
 Consiliis, monitis, numò, tua RURA beavit.  
 Hæc certè pulchris manet anteferenda DEABUS,  
 Quas TIBI sistebant illustres arte POETÆ  
 CLASSIBUS in NOSTRIS adjuncta PUBE COEVA. [A.C. 1639.]  
 Hæc hilari vultu depellet tædia TEDIS,  
 Instar HORISTILLÆ, vel PAULÆ condiet omnes  
 Ærumnas, PATER antiquus quam laudè coronat.  
 Quod restat, SCULTETE PARENTIS agalma pientis,  
 Ut pia fata sinunt, palmas ad sidera tende,  
 Et grates, laudesq; DEO cane pectore totò,  
 Qui turbas inter SÆCLI TE lumine blando  
 Respicit, & lateri præstantem corpore NIMFAM,  
 Moribus & castis pollentem DESUPER addit.  
 Conjugium ecce Tuum cœlo primordia sumit;  
 In terris homines confirmant ILLUD AMICI,  
 Si monitum sequeris, benedictio larga PENATES  
 Influet ad proprios, MENSAM cata pignora lecti  
 Ornabunt socii, seros cernesq; NEPOTES,

*Qui fructus VENTRIS superabit COELIBIS omneis  
Delicias, Rivos claudo sat prata biberunt.*

Cum gaudentibus Conterraneis, Dn. Com-  
patri Colbergio, ob novam, eamq; felicissimam  
copulam hanc UNICÆ FILIÆ more Ma-  
jorum, συγχαίρω, & Reverendo Dn. Sponso,  
optimo cortis nostræ olim pullo, ἐπιδειξι-  
ώσως ἔκκληι adplaudens scr, amicus ut pater-  
rimus, ita veterrimus

*ILLUSTRIS SCHOLÆ apud OLLSE-  
NITIOS RECTOR & INSPECTOR VIE-  
BINGIUS.*

---

Νυμφίε καὶ νήμφη Ἐφῶν νῦν ἤλυθεν ὠση  
Δαίνυαδ' ὑμῶν ἡμερένηα γάμον.

Ἐν Ἰελέθῳ Ἐφῶν Φάθ' ἠδὲ γάμοισι πελέσσαι  
οὐ παρὰ Ἰῆ χειρῶν, ἐχ' ἔτερωθεν ἔφου.

Ὅς ΣΑΟΦΡΩΝ Ἐφῶν γάμων Ἐπίβαλλοι ἔρωσιν  
Μαψαδίως ὑμῶν, ἐδὲ δέησις εἶσι.

Paulus Poliogonius Cantor  
in Illustri Olsna ann. 42. Ætatis verò 72  
ἀμεμήτως hæc scripsit.

---

Undiq; dum bellum fervet, dum plena tumultu  
Tempora nos cruciant, PAX operosa filet;  
Tu tamen audacter ducis Tibi, SPONSE, puellam;  
Nec refugit fortis, BARBARA SPONSA, vices.  
Non

Non ego diffido vestrum quin rite probandum  
Factum. Conjugium nam sacer ordo DEI,  
Quem non prosternent atri molimina Ditis,  
Nec tollent Martis spicula dura solo.  
Hinc JOVÆ nixi tutamine, nulla timetis  
Aspera fata, PIOS spes alit atq; fovet.  
Felices ergo, longævi in Nestoris annos  
Vivite conjunctim: sit sine labe torus,  
Sint sine felle dies, finitô tempore vitæ,  
Vos Deus in coelos evehat IPSE precor,

*Inter armorum crepitus & strepitus hono-  
ris & benevolentia gratiâ Domino Adfusi  
scribebam hæc paucula*

Johannes Hæger Pastor Ec-  
clesiæ DEI in Stampen & Borau.

---

**B**ARBARA COLBERGÆ præluçida stellula GENTIS,  
Connubii pangis fœdera dante DEO!  
Ergo monet PIETAS, & junctio sanguinis arcta,  
Ut THALAMO cantem carmina leta tuo.  
Sed vires desunt, MIHINONDUM FAUTOR APOLLO,  
Ut scribam dignum luce POEMA satis.  
Esto tamen TEDIS pia nuncupo pectore vota;  
Quæis Deus eximium pondus inesse sinat.  
Absit ERIS; sed EROS adsit per tempora vitæ;  
Impleat atq; TUAM MESSIS OPIMA domum.  
Casta-

*Castaneæ molles, & pressi copia lactis  
Te, SPONSUMq, tuum tempus in omne beet.  
PACIS OPUS votis, optatum nobile CISTIS  
Adjiciat NUMOS Marte cadente fero.  
BARBARA vive diu fatis felicibus, OLIM  
Cum SPONSO Musis sis panacæa meis.*

Hæc felicissimi ominis, sinceri amoris, sum-  
miq; honoris ergo adjecit Sponsæ Cognatus

Valentinus Gloger Scholæ  
Olsnæ Alumnus.

---

## Distichon numerale continens

annum, in quô SPONSA

Barbara Colbergia matrimonium  
cum SPONSO SCULTETO celebravit OLSNÆ.

**M**VI<sup>V</sup>S VBI EXCEL<sup>S</sup>I CONSTRVCTVS PRINCIPIS ARE,  
TOLLITVR OLSNÆ, FIT BARBARA SPONSA NITENS.

F I N I S.

